

rem genera; si vero eam negares, me absurdum judicares, adeoque nolo ultra dicere, antequam mihi occasio detur diffuse demonstrandi.

Petiisti a me pulchros flores; sed nescio quos velis. nullus dubito quin habeas me multo plures. Celosias Te habere non dubito; mitto aliquot, quas habui ex Indiis, et apud me floruere, in terra praegnanti, valde speciosae, si habeas me excuses quod miseram.

Figura δ. nuce 5loculari; non novi alias 5loculari semine quam Melia et Spondias, nec *Alocularia* praeterquam Varronia, Tetragonia; nec *3locularia* praeter Rumphiam, Nitrariam, Proserpinacum, nec *2locularia* praeterquam Cornus, Cordia, Gmelina, Citharexylum, Volkameria, Xanthium, Locusta, Cerinthe, Zizyphus, Ellisia, Lantana, Ehretia, Grevia paucaque alia.

Fig. η. forte *Avicennia*. an in hac Spinae ramosae e panicula superstite.

Fig. χ. *Araquolae* characterem non possum conciliare cum figura.

Immenso desiderio flagro videndi D. Scopuli opus. Si poteris cures ut habeam dum prodierit.

Vale. Dabam Upsaliae 1760, d. 26. Februarii.

8.

Botanico eximio DD. Nicol. Jacquinio s. pl. d. Car. Linnaeus.

Tuas 20. Februarii hodie accepi, ad quas hoc ipso die laetus respondeo.

Petiveriae Tuæ semina non differunt a meis.

Triopteris viscosa fructu convenit, et reliquis petalorum defectu differt et staminibus octo, adeoque Dodonaea persistat.